

possibile in hoc tandem sistit, quod sequatur idem simul esse et non esse, et quandiu ad hoc non deducitur, non est satis demonstrata impossibilitas; postquam vero ad hoc deductum est, ibi sistitur, tanquam in ultimo termino resolutionis, et notissimo principio. Et, quamvis interdum possit deduci impossibile ad aliud incommodum, quod duæ contradictoriæ sint simul falsæ, seu ut idem neque sit, neque non sit, tamen hoc ipsum in tantum est impossibile, in quantum virtute includit aliud, scilicet, quod simul de aliquo negetur aliquid, et non negetur, quod est affirmare et negare idem de eodem.

9. *Quod sit humanæ scientiæ principium absolute primum.*—Tertio dicendum est, hinc fieri ut illud principium, *Impossibile est idem simul esse et non esse*, sit simpliciter primum in humana scientia, et præsertim in metaphysica. Ratio est, nam illud principium recte vocatur primum, a quo sumit firmitatem tota humana scientia; sed huiusmodi est prædictum principium, quia ex illo non solum conclusiones, sed prima etiam principia demonstrantur. Imo addit Fonseca, lib. 4 Metaphys. cap. 3, quæst. 1, sect. 3, per illud principium confirmari a priori prima principia. Sed non video cur deductionem ad impossibile vocet a priori, cum non sit ex causa, sed per extrinsecum medium. Nisi fortasse intelligat per huiusmodi principium demonstrari a priori, non quidem veritatem aliorum principiorum, quod fieri non potest, sed impossibilitatem, ac repugnantiam, quæ ex opposito sequitur; ultima enim resolutio omnis repugnantiae fit ad contradictionem, ad quam per illud principium fit deductio. Hoc vero satis est, ut illud principium dicatur simpliciter primum; nam, cum ingenium humanum non statim comprehendat cætera principia prima, prout in se sunt, multum iuvatur, et confirmatur in eorum assensu, deducendo ad impossibile, quod in cæteris fieri potest per illud primum; ipsum autem nullo modo ostendi potest etiam deductione ad impossibile, quia nullum aliud impossibile inferri potest, quam sit illud quod in eo pronuntiatur, quod est signum illud esse maxime notum et primum. Dixi autem usum huius principii esse maxime necessarium in hac scientia, quia, cum ens simplicissimum sit, vix potest definiri, et ratio ejus distinctius explicari, et applicari ad veras demonstrationes efficiendas, ita ut propositiones assumptæ identicæ non censeantur.

*Solvuntur rationes oppositæ.*

10. Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, quoad priorem partem jam explicatum est, Aristotelem non vocare illud principium primum, quia illo utatur metaphysica ad suas proprias et directas demonstrationes; nam potius idem Aristot., 1 Poster., cap. 8, text. 26, dicit, non solere illud principium formaliter ingredi demonstrationem. Dicitur ergo primum principium aliis rationibus jam explicatis; est enim quasi universale fundamentum, cujus virtute omnes demonstrationes nituntur, et alia principia possunt, saltem quoad nos, declarari ac confirmari, quanquam id semper fiat adjuncto aliquo alio principio, vel concessio, vel per se noto. Ad primam confirmationem respondetur veritatem illius principii proprie non fundari in unitate, sed in oppositione et repugnantia contradictoriorum, unde non recte probabitur, quod est non posse simul non esse, quia quod est, unum tantum est: tum quia, ut infra dicam, ens quatenus unum, non proprie dividitur a non ente, sed ab alio ente, quia a non ente potius dividitur quatenus ens; tum etiam quia hæc ipsa divisio entis a non ente fundatur in eo quod non potest idem simul esse et non esse, propter repugnantiam formalem horum terminorum. Ad ultimam confirmationem dicitur primo, fieri quidem posse ut aliqua affirmativa propositio, quatenus simplicior est quam negativa, prior sit quam illa ordine generationis seu compositionis, et tamen quod in ratione veritatis per se notæ non sit tam manifesta, neque æque prima; et ita dici potest de illo principio; nam, licet tota veritas ejus fundetur in natura ipsius esse, quod per se excludit non esse, tamen hoc ipsum per illud principium, quamvis negativum, explicatur evidentissime et aptissime ad fundandas demonstrationes deducentes ad impossibile.

11. *In genere moris quod primum principium, et collatio cum primo in genere naturæ.*—Atque hinc facile solvuntur multa argumenta, quæ fieri solent contra sententiam Aristotelis de hoc primo principio, ut quod constet multis vocibus neque universalissimis, neque admodum notis, ut sunt *simul, idem*, quæ relationes significant, quæ sunt posteriores absolutis. Item quod sit propositio modalis, quæ supponit priorem de inesse. Ad hæc enim et similia dicitur, eis ad summum probari, hanc non esse primam propositionem, seu complexionem quam intellectus for-

mat, non tamen, quod non sit primum principium, quia ad hoc non est necesse ut sit prima propositio, sed solum, quod ex illo quodammodo pendeat omnium aliarum veritatum scientia, ipsum vero ita sit verum, notum, et indemonstrabile, ut ab alio non pendeat; hæc autem conveniunt illi principio, ut ostensum est. Posset autem principium illud ad simpliciores terminos reduci dicendo: *Nulum ens est et non est*; sic enim conficitur ex simplicibus terminis, et ex universalissimis ac primis, quod necessarium est in primo principio, ut possit omnibus scientiis esse commune, ut notavit D. Thom., 1. 2, quæst. 94, art. 2. Ubi advertit hoc principium esse primum in speculabilibus; nam in practicis seu moralibus datur aliud primum, scilicet, *Omne bonum est faciendum, et malum vitandum*; nam, quia omnes actiones morales circa bonum et malum versantur, ideo primum principium morale ex illis terminis constare debuit; tamen, quia practica in speculativa fundantur, ideo, quod in speculativis est primum principium, simpliciter et absolute est primum. An vero hoc principium ita sit notum, ut a nemine possit mente negari, quamvis voce contendere videatur; item quibus modis suadendum sit contra eum qui proterve illud negaret, vel eum ex concessis redarguendo, vel ad inconvenientia sensibus repugnantia eum deducendo, tractat late Aristoteles, 4 Metaphysic., cap. 3, 4 et 5, quibus locis videri possunt expositores, quia non est quod in hac re amplius immoremur.

DISPUTATIO IV.

DE UNITATE TRANSCENDENTALI IN COMMUNI.

*Series tractationis.*—Primum de unitate tractandum est, quia cum entitate maxime est conjuncta, et cæteris passionibus quodammodo supponitur; quia reliquæ in quadam rerum distinctarum comparatione seu habitudine consistunt, quæ sine unitate intelligi non potest. Et hunc ordinem servavit Aristoteles, 4 Metaph., cap. 3, unum statim cum ente conjungens. Quoniam vero unum multitudini opponitur, et oppositorum eadem est ratio seu scientia, ideo consequenter dicendum erit de multitudine. Ac denique quia multitudo ex distinctione seu divisione causatur, quam unitas negat, tractandum etiam erit de variis distinctionum generibus; atque in hunc modum omnia genera

unitatum, distinctionum et multitudinum explicata relinquemus.

SECTIO I.

*Utrum unitas transcendentalis addat enti rationem aliquam positivam, vel tantum privativam.*

1. *Prima opinio.*—Prima sententia est, *unum* addere supra ens accidens quoddam positivum, ex natura rei distinctum ab ente, per se tamen consequens et concomitans omne ens. Ita sensit Avicen., lib. 3 suæ Metaph., cap. 2, et lib. 7, cap. 1; nam priori loco vocat *unum* accidens et quid comitans essentiam, posteriori autem loco dicit non esse absolute idem cum ente. Et hanc sententiam videtur secutus Scotus, 4 Metaph., q. 2, et in 2, d. 3, quæst. 2; Anton. And., 4 Metaph., quæst. 3, qui docet, *unum* addere supra ens aliquid positivum ex natura rei distinctum ab ente. Sed hæc sententia quantum ad distinctionem ex natura rei inter ens, et id, quod unum addit supra ens, rejecta sufficienter est præcedente disputatione, et plane repugnat Aristoteli, 4 Metaph., cap. 2 et 5, et amplius ex sequentibus confutabitur.

*Proponitur sententia, quod ratio unius positiva sit.*

2. Unde esse potest secunda sententia, *unum* addere supra ens proprietatem quamdam positivam non realiter, vel ex natura rei, sed sola ratione ab ente distinctam, ad eum modum quo sapientia vel justitia dicitur addere aliquid Deo, et esse attributum positivum ejus, sola ratione distinctum ab illo. Hanc opinionem videtur tenere S. Bonaven., in 1, d. 23, art. 1, q. 1, ubi dicit, *unum* in Deo dicere aliquid positivum, in creatura vero interdum privativum, interdum vero positivum. Unde ait, quamvis modus significandi vel explicandi unitatem sit per modum negationis, quia simplicia non nisi per negationes a nobis concipiuntur et explicantur, tamen quoad rem significatam et intellectam esse quid positivum. Hoc idem significat Alex. Alens., 1 p., q. 13, mem. 1 et 2; Soto, in Logica, cap. de Propr., q. 2, ad 2; potestque suaderi primo, quia ex omnium sententia unum addit indivisionem supra ens; sed indivisio, licet per modum negationis significetur, tamen revera non est negatio, sed positiva ratio; ergo. Major patet ex ipsa vocis expositione; dicitur enim unum, quod in se est indivisum. Item ex opposito suo, scilicet *multi-*



*tudine; multa enim dicuntur, quæ inter se divisa sunt; ergo unum dicitur, quod indivisum est in se. Item patet ex proportionem ad unitatem quantitativam; nam illæ quantitates plures dicuntur, quæ divisæ sunt, illa vero una, quæ non est divisa; sicut ergo quantitas est una per indivisionem quantitatis, ita entitas est una per indivisionem entitatis. Minor probatur primo, quia divisio est negatio; ergo indivisio, licet habeat formam negationis, tamen in re non est negatio, sed affirmatio potius. Consequentia probatur, quia duæ negationes (ut aiunt) affirmant, et quia in re ipsa nunquam negatio destruitur immediate per negationem; nulla enim talis oppositio invenitur in rebus; tollitur ergo per positivam formam oppositam. Antecedens autem, scilicet divisionem dicere negationem, est D. Thomæ, quæst. 9 de Potentia, art. 7, dicentis, multitudinem includere negationem, scilicet divisionem unius ab alio. Et 1 part., quæst. 11, art. 2, ad 4, dicit, in tantum nos apprehendere divisionem, in quantum apprehendimus, hoc ens non esse illud; et idem dicit Soncin., 10 Metaph., quæst. 4. Neque aliter nos concipere possumus divisionem.*

3. Secundo, potest hoc ita explicari ratione, quia in illis rebus quæ sunt unæ per compositionem, unitas consurgit per unionem plurium, quæ unio est quid positivum in ipsis, ut postea videbimus; e contrario vero res plures hoc ipso sunt multæ, et non una, quod unione carent; divisio ergo formaliter solum dicit carentiam unionis; consistit ergo in negatione; e contrario vero indivisio dicit carentiam divisionis, quod est negare carentiam unionis; hoc autem est ponere unionem, quæ quid positivum est. Et consequenter, in his rebus quæ non sunt unæ per unionem plurium, sed per simplices entitates, unitas dicitur positivam perfectionem consistentem in quadam rei integritate, quæ est altior et eminentior perfectio quam unio, quamvis a nobis propter suam simplicitatem per negationem explicetur. Unde sumitur duplex confirmatio. Prima, quia negatio ut sic non suspicit magis nec minus; unum vero, seu unitas recipit magis et minus; nam magis unum est, quod per simplicem entitatem est unum, quam quod per compositionem plurium, et tanto magis ab unitate receditur, quanto compositio maior est, seu minor unio; ergo signum est, unitatem addere aliquid positivum. Secunda confirmatio est, quia negatio nullam perfectionem dicit, unitas vero dicit perfectionem;

nam in Deo ad maximam ejus perfectionem spectat, quod sit unus tantum, et quod sit maxime unus, et quod in eo omnia, quæ opposita non sunt, unum omnino sint. Et in Angelis ad perfectionem eorum pertinere censetur, ut in unaquaque specie sit unus tantum; et modus unitatis eorum, scilicet, per talem simplicitatem, pertinet etiam ad perfectionem eorum, et idem est proportionate in reliquis entibus.

4. Tertio, id colligi potest ex speciebus seu modis unitatis, omnes enim sunt positivi; ergo signum est ipsam etiam unitatem ut sic addere aliquid positivum. Antecedens patet primum in unitate quantitativa, quæ dicitur una continuatione ab Arist., 5 Metaph., cap. 6; continuïtas autem non est negatio, sed positivum, cum in hoc consistat, quod partes habeant terminum communem; illa ergo integritas, quæ ex continuatione resultat, est unitas quantitatis continuæ, et illa positivum quid est. Alia est unitas compositionis, verbi gratia, ex materia et forma, quomodo humanitas vocatur una, de qua jam ostendimus in positiva ratione consistere, unde et generatio, quæ ad hanc unionem tendit, positiva actio est; e contrario vero corruptio, quæ illam dissolvit, formaliter in privatione consistit. Alia unitas est individualis, specifica et generica, et hæc omnes positivæ sunt, quia et genus positive contrahitur ad speciem, et species ad individuum, et conformitas illa, vel convenientia, quæ est in specie vel genere, positiva est.

5. Quarto, argumentari possumus ex effectibus seu proprietatibus quæ unitati tribuuntur; una est, quod fundet relationem identitatis seu similitudinis, 5 Metaph., cap. 15; relatio autem realis non fundatur in negatione, sed in positivo. Alia est, quod unum est prima mensura multitudinis; quod non potest convenire negationi, cum nihil sit. Unde Aristoteles, 10 Metaph., cap. 9, text. 21, ponit oppositionem relativam inter unum et multa in ratione mensuræ et mensurati. Tandem unum ut sic componit multitudinem; nam multitudo formaliter ex unitatibus formaliter constat, unde et in numero quantitativo ultima unitas dicitur esse forma ejus; sicut ergo numerus formaliter est aliquid positivum, ita et unitas.

*Vera sententia.*

6. Dicendum est primo, unum nihil positivum addere supra ens, nec rationis, nec reale,

neque ex natura rei, neque sola ratione ab ente distinctum. Est sententia D. Thomæ, 4 Metaph., lect. 2, et in 1 part., quæst. 11, art. 1, ubi Cajet.; Scholastici, in 1, dist. 24; ubi Capreol., quæst. 1, art. 1; Durand., quæst. 1 et 2; Gabr., q. 1, art. 3, dub. 3; Gregor., quæst. 1, art. 1; Henric., Quodlib. 1, q. 1; Soncin., 4 Metaph., q. 4; Javel., quæst. 5 et 8; Jandun., quæst. 4; Fonseca, cap. 2, q. 5. Et fuit etiam sententia Comment., 4 Metaph., com. 3, text. 3, et lib. 10, com. 8. Et sumitur ex Arist., 5 Metaph., c. 6, text. 11, et lib. 10, cap. 1, ubi rationem unius explicat per indivisionem, et indivisionem per negationem divisionis, et 4 Metaph., cap. 2, hac ratione dicit, unum et ens esse unam ac eandem naturam, quia nimirum nullam rationem positivam dicit præter rationem entis.

7. Et quidem de ente rationis per modum positivi (de quo est sermo in prima parte conclusionis) res est satis certa et extra controversiam, quia nullum hactenus excogitatum est ens rationis quasi positivum, quod unum de formaliter dicat, et addat enti; quia aut illud est per modum relationis, et hoc non, quia nomen unius omnino absolutum est, ut supra vidimus, et constat ex ipsa voce, et ex communi modo concipiendi; aut est per modum alicujus prædicati absoluti et positivi; hoc dici non potest, etiamsi fingendi fiat copia. Dicere quis forte posset unum addere relationem identitatis ad seipsum. Sed hoc est plane falsum; nam esse unum et esse idem, sunt prædicata valde diversa; et primum est suo modo reale prædicatum conveniens enti sine fictione intellectus; secundum vero est prædicatum rationis conveniens per operationem intellectus; unde primum est fundamentum secundi, eo modo quo relatio rationis potest in re habere fundamentum.

8. Itaque, hac parte omissa, altera de ratione reali positiva, quæ præcipue est intentata, solet hac maxime ratione probari, quia si unum addit enti positivam realem rationem, ergo necesse est ut in illa includatur ens; ergo et unum; ergo illi addenda erit alia ratio positiva, per quam sit unum; ergo ita procedetur in infinitum, nisi in aliqua ratione reali sistamus, quæ ita sit per se ens et unum, ut esse sic unam, nihil addat supra entitatem ejus; ergo eadem ratione sistendum erit in ipsamet rationis entis. Sed ad hoc argumentum respondet Scotus, illam rationem unius ita esse positivam, ut tamen ens non sit. Sed hoc satis est in superioribus improbatum, Et

præterea negari non potest, quod ad præsens spectat, quin ille modus realis, vel quidquid illud sit, quod unum addit enti, sit unum quid eo modo quo est; nam unumquodque ens habet hujusmodi modum unum tantum, et non plures, et habet illum distinctum a modo seu unitate alterius entis, in se autem indivisum; recte ergo inquiritur an ille modus sit unus se ipso, et sine ulla additione positiva, quæ suæ entitati fiat, vel cum additione; nam, si cum additione, procedetur ulterius in infinitum; si absque additione positiva per solam negationem, cur non idem dicetur de quolibet ente ut sic?

9. *Evasio confutatur.*—Dicunt aliqui ipsum modum unius, cum sit id quo ens est unum, posse seipso etiam esse unum, quod non ita dici potest de ratione entis, quia ipsum formaliter non est ratio unius, seu unitas ut quo; id enim quod in aliquo genere est quo, quando est simplex et ultimum, seipso potest esse quod; hoc vero non tribuitur ei, quod nullo modo rationem illam formaliter participat. Exemplum commune est in quantitate, per quam substantia quanta est et ideo potest per seipsam esse quanta, quod non potest substantia. Quæ evasio habet speciem quamdam subtilitatis, sed in præsentem nulla est necessitas fingendi illud quo et quod; nam illa ratio unitatis non intelligitur esse una propter aliquam rationem positivam quam in se habeat, et veluti exerceat circa seipsam, sicut quantitas est quanta, quia est extensa, et per se apta occupandum locum; sed per solam negationem pluralitatis seu divisionis intelligitur esse una; ergo eodem modo intelligi potest in ratione entis, neque oportet fingere aliquid positivum, quod ei sit ratio ut quo essendi unum.

10. *Respondetur replicæ.*—Dici tandem potest hoc argumentum recte procedere contra Scotum et alios, qui ponunt modum illum unius ex natura rei distinctum ab ente, non tamen ita urgere, si dicamus illum modum esse quidem positivum et realem, sola tamen ratione ab ente distinctum; quia tunc dicitur illum modum, quamvis sit ens, non tamen esse in re distinctum ab ipsomet ente, et ideo esse unum eadem unitate, qua ipsum ens, et præcise ac secundum rationem non considerari ut unum, sed tantum ut rationem unius, realiter vero esse unum seipso, sicut ipsum ens. Sed contra hanc responsionem objicitur, quia inde sequuntur alia incommoda. Primum, rationem unius esse positivam, et pas-



sionem entis, et quidditative includere ipsum ens, quod repugnat propriæ passioni. Secundum, quod ille modus sit de quidditate ipsius entis, sicut attributa divina sunt de quidditate Dei, quia, licet ratione distinguantur, in re dicunt rationes positivas, quæ ex natura rei non distinguuntur a Deo; consequens autem est falsum, tum quia alias unum non esset passio entis, sed essentia; tum etiam quia alias nulla res creata posset quidditative distincte concipi, nisi formaliter conciperetur ut una. Quæ incommoda sunt quidem probabilia, forte tamen aliquis non existimaret inconvenienti illa concedere in transcendentibus, quæ simplicissima sunt.

11. Aliter ergo prosequendo discursum, ostendo, eodem modo concludere, non esse ponendum hunc modum positivum ratione distinctum; nam præciso per intellectum illo modo positivo, in reliquo conceptu entis intelligitur quidquid necessarium est ad unitatem; ergo signum est nihil positivum etiam per rationem præscindi ab ente, quo illud unum sit. Quod ut intelligatur, loquamur de aliquo ente in particulari, ut, verbi gratia, Deo quatenus unus est; si ergo in illo unitas est attributum positivum ratione distinctum Deo, ergo potest mente præscindi Deus a unitate ejus; in Deo autem sic concepto absque additione alicujus positivi etiam secundum rationem, potest concipi negatio divisionis seu partitionis, quam in se habeat, et divisio etiam seu sufficiens fundamentum divisionis ab omnibus aliis; sed hoc ipso sufficienter concipitur unus; ergo quidquid positivum postea additur, etiam secundum rationem, est superflue fictum, neque explicari potest quid vel ad quid sit: et idem argumentum fieri potest in aliquo alio ente uno, et consequenter in ente in communi. Secundo id declaro in entibus compositis retorquendo argumenta priora; nam in hujusmodi ente, quod per compositionem fit, quidquid positivum physicum considerari potest, pertinet ad rationem entis, ut tale ens est, etiamsi ratione præscindatur a conceptu unius; ut in humanitate unio animæ et corporis est de ratione essentiali talis entis, ut tale ens est specificative, et in re ipsa; et similiter in linea unio partium in puncto est de ratione entis, ut est in tali specie quantitatis continuæ; ergo omnis etiam ratio positiva metaphysica, quæ in tali unionem physica fundatur, pertinet formaliter et secundum rationem ad rationem talis entis, non quatenus concipitur ut

unum, sed quatenus formaliter contractum seu determinatum in ratione talis entis; ergo ratio unius nihil positivum addere potest, etiam ratione distinctum. Tertio id explicatur in entibus simplicibus, in quibus perfectior videtur esse unitas; imo ipsa simplicitas videtur esse maxima unitas; sed simplicitas de formali non dicit rationem positivam, etiam sola ratione distinctam ab ente simplici, et a perfectione, quæ in ratione entis, seu talis in eo concipitur; adeo ut etiam in Deo juxta probabiliorum Theologorum sententiam simplicitas ut sic nihil addat Deo perfectionis etiam secundum rationem, supra perfectionem summæ actualitatis ejus, in qua negatio illa fundatur, quam simplicitas exprimit; ergo multo minus unitas ut sic potest dicere rationem positivam. Et hæc conclusio amplius patebit ex sequentibus, et ex solutionibus argumentorum.

12. Dico secundo, unum addere supra ens negationem aliquam per modum privationis. Ita docent citati auctores, et sequitur ex præcedente assertionem; nam constat unum aliquo modo distingui ab ente, quia et est passio ejus, et illa nomina non sunt synonyma, sed diversi conceptus formales et objectivi illis in mente respondent; ergo aliquid dicit unum præter ens; sed non dicit aliquid omnino fictum per rationem, ut per se constat, quia esse unum rebus ipsis vere convenit; neque etiam dicit aliquam habitudinem rationis, ut ostensum est; nihil ergo superest quod addere possit præter negationem seu privationem.

*Qualis sit negatio, quam unum addit enti.*

13. Duo tamen supersunt hic explicanda. Primum est, quæ sit hæc negatio, et quotuplex. Secundum, quomodo hæc negatio dicatur esse per modum privationis. Circa primum, omnes conveniunt unum dicere negationem divisionis in ipsomet ente, quam significavit Aristoteles dicens, unum esse *ens indivisum in se*, ut patet ex citatis locis, et ex 10 Metaph., cap. 5. Et ratione patet, quia per divisionem intelligimus unum ens fieri plura; ergo nulla alia ratione melius concipitur ens esse unum, quam negatione divisionis; et in hoc omnes conveniunt. Sunt tamen prædicta verba attente consideranda: aliud est enim ens dicere negationem divisionis in ipso, aliud vero dicere negationem divisionis a se ipso; quamvis enim utraque negatio possit enti attribui, tamen prior est

quæ pertinet ad rationem unius; nam posterior non sufficit, ut recte notavit Soncin., 4 Metaph., quæst. 23, ad primum. Et patet, tum quia illa non est propria negatio, quæ in re addatur enti, sed quæ per solam reflexionem rationis consideretur; tum maxime quia non dividi a se, æque convenit enti per se et per accidens, seu multitudini; acervus enim lapidum tam non est divisus a se, quam homo vel Angelus; tamen, quia in se non est indivisus, non est proprie unum ens; negatio ergo divisionis in se, est quæ constituit ens, non negatio divisionis a se.

14. Dubitant tamen ulterius auctores, an in ratione unius aliqua alia negatio includatur. Multi enim definiunt unum esse, quod est *indivisum in se, et divisum a quolibet alio*; et ideo præter indivisionem in se, dicunt unum dicere negationem unionis cum alio, quæ negatio explicatur nomine divisionis seu distinctionis ab alio. Ita opinantur Capreol., Gabr. et Sonci., locis citatis, quia, sicut de ratione *unius* est ut in se non sit divisum, ita ut non sit aliud a se; alterum enim ex his duobus, scilicet, esse aliud a se, vel non esse aliud a se, necesse est in ratione unius includi, quia, cum contradictorie opponantur, immediate repugnant; sed esse aliud a se non est de ratione unius, ut constat; ergo erit de ratione unius ut non sit aliud a se. Quin potius addunt aliqui, negationem divisionis ab alio prius secundum rationem convenire enti, quam indivisionem in se, quia prius convenit enti esse divisum a non ente, quam esse in se indivisum; ergo utraque negatio requiritur ad rationem unius. Unde etiam D. Thomas, 1 p., q. 11, art. 2, ad 4, dicit conceptum divisionis ab alio secundum rationem esse priorem conceptu unitatis. Alii vero negant divisionem ab alio esse de ratione unius, sed solam indivisionem in se. Ita Fonseca supra, citans Ægid., 4 Metaph., q. 6; et Hervæum, Quodlib. 4, q. 2 et 3. Ratio ejus est, quia esse divisum ab alio non requiritur ut ens sit absolute unum, sed solum ut sit unum ex multis; et ideo sufficienter concipitur res ut una, quando intelligitur indivisa, etiam si non concipiat ut divisa ab alijs. Et confirmatur, quia res est absolute una, quamvis non sint alia, a quibus distinguatur.

15. *Unius nomen æquivocationem patitur.* — Sed circa hoc advertendum est, posse in nomine tam unius quam divisionis ab alio committi æquivocationem; nam in-

xxv.

terdum communi et vulgari usu *unum* significare solet quod est solitarium et unicum, quomodo dicimus esse unum Deum, unum solem; et hoc modo unum dicit negationem multitudinis, et non tam dicit divisionem ab alio, quam negat consortium alterius. Sed hoc modo esse unum non est passio entis, ut per se constat; neque ea significatio est propria unius, nec rigorosa, sed solum ex accommodatione usus interdum ad hoc extenditur, nam in rigore verum est dicere hic esse unum hominem, quamvis sint plures; et ideo in rigorosa significatione, ad negandum esse plures, additur exclusiva esse tantum unum. Igitur negatio multitudinis seu plurium in hoc sensu non intrat rationem formalem unius transcendentis.

16. *Relatio realis divisionis ab alio extra rationem unius.* — Rursus esse divisum ab alio concipi potest per modum relationis realis, seu ad terminum realem et existentem. Et hoc modo certum est divisionem ab alio non esse de ratione unius, tum quia est quid posterius illo; ideo enim hoc est divisum ab illo, quia in se tale est, et unum quid; tum etiam quia unum de se est prius multitudine et independens ab illa; sic autem esse divisum ab alio requirit multitudinem; imo inde consurgit multitudo, quia sunt plura una, quorum unum non est aliud. Denique hæc ratio supra dicebamus, *aliquid*, quatenus dicit hujusmodi negationem, vel relationem alietatis a termino reali et existente, non esse passionem entis; quia per se non convenit omni enti, sed per accidens ex coexistentia aliorum; multo ergo minus potest esse hoc de ratione unius. Unde, antequam creaturæ existerent, Deus erat perfecte et complete unus absque hac relatione seu negatione. Quin potius, etiam si per impossibile nullæ aliæ res essent possibiles extra Deum, ipse esset vere ac perfecte unus, hoc ipso quod esset in se indivisus in essentia, etiam si non posset esse divisus ab alijs, eo quod alia esse non possent. Tamen, quia de facto et quodammodo ex intrinseca ratione entis, secundum totam suam latitudinem considerati, cum quolibet ente possibilis est existentia alterius, ideo ad omne ens consequitur ut possit esse distinctum ab alio, quod revera unicuique convenit ex eo quod in se unum est. Et hoc modo esse distinctum ab alio aptitudine et fundamentaliter potest dici convenire omni enti, quia unum est; tamen hoc ipsum non intrat formaliter rationem unius, sed



consequitur illam, sicut consequitur ad quantitatem, ut sit fundamentum æqualitatis, vel inæqualitatis.

17. *Esse ab alio divisum qualiter sit necessario conjunctum uni.* — Tandem esse divisum ad alio, concipi potest solum per modum negationis. Quæ comparari etiam potest, vel ad terminum positivum existentem; et hoc modo eadem est ratio de illa quæ de relatione; vel ad terminum positivum absolute sumptum, sive existentem, sive possibilem; et hoc modo esse divisum ab alio convenit omni enti, quatenus unum est, quia sicut non potest uni enti convenire ut sit aliud, ita necessario convenit, ut non sit aliud; nam hæc sunt contradicentia, et ideo si alterum eorum necessario separatur ab uno, scilicet esse aliud a se, alterum necessario convenit uni, scilicet non esse aliud a se, quod est esse distinctum ab alio. Quæ quidem ratio non probe hæc negationem primario ac formalissimam intrare rationem unius, sed convenire illi necessario, sive per se primo, sive consequenter, et hoc posterius verius videtur, quod intendunt auctores secundæ opinionis, et fortasse non negant auctores primæ. Possunt itaque conciliari; nam, quod hi negant formaliter ac per se primo, illi affirmant consequenter ac per se secundo. Et ita explicuit diserte Sonein., 4 Metaphys., q. 23 et 27, et hoc solum probant rationes adductæ.

18. Denique si hæc negatio seu divisio unius entis non comparetur ad terminum positivum, sed ad negativum et contradictorium, sic etiam omni enti, hoc ipso quod unum ens est, convenit quod sit divisum a non ente, seu ut non sit non ens; tamen hæc negatio solum est quasi per reflexionem intellectus; nam, prout objective intelligitur antecedere in ente, potius est affirmatio; nam affirmatio non dividitur a negatione per aliam negationem. Id enim est impossibile, quia procederet in infinitum; dividitur ergo per seipsam; sic ergo ens dividitur a non ente, non per negationem aliam, sed per se, sicut e contrario non ens dividitur ab ente, non per aliam negationem, vel affirmationem, sed per se ipsum; itaque formalissime dividi a non ente nihil aliud est quam esse ens. Hac ergo consideratione talis negatio nec pertinet ad rationem unius, neque est passio entis, cum revera nulla sit; quatenus vero per intellectum excogitari potest, est solum extrinseca denominationatio seu relatio rationis; et ideo intrinsece etiam non spectat ad rationem unius,

vis oppositum videatur sentire Cajetan., 4 part., quæst. 11, art. 4, in fine, de quo plura dicemus in solutionibus argumentorum.

*Negatio, quam dicit unum, sitne privatio.*

19. Secundum dubium erat, quomodo unum dicat hanc negationem per modum privationis; et ratio dubitandi est, quia privatio dicit negationem in subjecto apto nato; indivisio autem, quam addit unum supra ens, sæpe dicit negationem divisionis in ente incapaci illius; ut in Deo, esse unum negat divisionem essentialis divinæ, quæ dividi nequit; et simile est in aliis rebus præsertim simplicibus, vel incorruptilibus, imo et in omnibus entibus, quatenus unumquodque est inseparabile a seipso; nullum enim ens a seipso dividi potest; hæc autem sola indivisio est de ratione unius transcendentalis. Respondetur, difficultatem solum consistere in explicatione conclusionis, cur, scilicet, hæc negatio, quam dicit unum, dicatur esse per modum privationis. Nam quia non negat formam, cujus sit capax subjectum seu ens, quod unum dicitur, ideo non dixi hanc negationem esse privationem; nam ad hoc oportere ut negaret formam in subjecto apto nato, ut argumentum probat. Sed dixi esse ad modum privationis, quia in aliquo imitatur privationem, et recedit a mera negatione. Nam, sicut privatio dicit negationem non quomodocunque, sed quasi ad hærentem subjecto reali, ita unum dicit hanc negationem, quasi addendo illam enti reali, quod connotat; et ideo non ens, seu nihil, quatenus tale est, neque unum nec plura dicitur, quamvis negatio divisionis absolute sumptæ, illi possit attribui, quia non ens indivisum est. Entia autem rationis seu ficta in tantum æquivoce dicuntur unum vel multa, in quantum æquivoce etiam sunt entia, vel potius ut entia concipiuntur. Unum ergo dicit negationem divisionis in ente, et quoad hoc esse dicitur ad modum privationis, sive tale ens sit capax divisionis, sive non. Addit Fonseca supra, divisionem, quam negat unum, absolute possibilem esse, esto non sit possibilis ei enti, quod unum denominatur; ut Deus dicitur unus, quia indivisus in essentia, quæ divisio est possibilis in creatura, quamvis sit impossibilis Deo; et ita illa divisio non est impossibilis enti, ut ens est; et hoc modo dici potest privatio, ratione capacitatis saltem in conceptu communi, ad eum modum quo talpa cæcus dicitur, quia ut animal est capax visus, quamvis non ut tale animal. Quod in præ-

gente dicitur minus proprie propter analogiam entis.

*Argumentorum solutiones.*

20. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ prima et communis responsio est, concedendo divisionem consistere in negatione, et consequenter indivisionem esse negationem negationis. Ita concedit D. Thom., in 1, dist. 24, quæst. 1, art. 3, ad 1. Unde in solutione ad 2 concedit, secundum rem, magis se habere ad positivum unitatem, quam multitudinem; quia negatio unius rei ab alia, quam dicit multitudo, est in re ipsa; negatio vero negationis, quam dicit unitas, est mere per rationem. Quam doctrinam amplectitur Sonein., lib. 10 Metaph., quæst. 4. Ad argumentum ergo, scilicet, quia negatio negationis est affirmatio, respondendum est juxta hanc sententiam, formaliter et secundum rationem non ita esse, quia ratio potest super unam negationem reflecti, et negare illam, et per hanc negationem explicare aliquod positivum simplex, quod, prout in se est, declarare non potest. Secundum rem autem et æquivalenter, illud esse verum; tamen illud positivum, quod illis negationibus circumscribitur, nihil esse præter entitatem ipsius rei, quæ una dicitur. Hæc responsio probabilis est, et facile defendi potest; tamen videtur supponere, negationem, quam dicit unum, esse aut negationem divisionis hujus entis ab alio ente, vel negationem divisionis hujus entis a se ipso, quæ revera sunt negationes rationis; tamen prior non pertinet ad rationem unius, ut dictum est, sed ad illam consequitur. Posterior autem negatio non est propria unius, sed communis multitudini. Igitur negatio divisionis in se ipso est proprie de ratione unius; hæc autem nullam negationem realem videtur supponere in re ipsa, quæ secundum rationem negetur per indivisionem.

21. Secundo ergo respondetur concedendo, unum dicere indivisionem, seu negationem divisionis, et negando hanc esse negationem negationis. Nam in divisione quam unum negat, duo possunt considerari: primum, quod entia inter se divisa sunt quasi in se completa et terminata suis entitatibus; secundum est, quod unum non est aliud. Hoc posterius solum dicit negationem, ut per se constat; primum vero dicit positivum, quod est fundamentum illius negationis, quod tamen in re nihil est præter entitates ipsas, ut explicari

potest in quantitate discreta; nam lineas esse plures dicit unamquamque esse propriis terminis terminatam; unde sequitur negatio, scilicet, quod non habeant terminum communem. Indivisio ergo, quam dicit unum, negat divisionem ratione positivi, quod in rebus divisis invenitur, non ratione negationis, quam includit divisio unius ab alio; sicut e contrario, negatio, quam dicit divisio, non negat aliam negationem, sed positivam unionem vel identitatem unius cum alio.

22. *Respondetur objectioni.* — Dices: hinc sequitur, negationem, quam dicit unum, esse negationem multitudinis, quod tamen supra videmur negasse. Et patet esse falsum, quia unum est prius multitudine; negatio autem est posterior forma, quam negat. Respondetur, dupliciter posse intelligi unum negare multitudinem: uno modo simpliciter, seu in rerum natura; et hoc modo negavimus supra unum dicere negationem multitudinis, neque oppositum sequitur ex dicta solutione, ut per se notum est. Alio modo, ut neget multitudinem in ipsa re, quæ dicitur una, id est, quod in se non est plures; hoc autem sensu non est in superioribus negatum a nobis unum dicere negationem multitudinis. Id autem negat Fonseca, dicta quæst. 5, sect. 5, et est sententia D. Thom., 1 p., quæst. 30, art. 3, ad 3, et opusc. 42, cap. 2, ubi adducit rationem, qua etiam Fonseca utitur, scilicet, quia unum est prius multitudine. Quæ ratio, si esset efficax, eadem fieri posset de divisione; nam unum etiam est natura sua divisione prius, ut infra dicam.

23. Concedunt ergo alii indivisionem unius dicere negationem multitudinis in ente, sub ea ratione, qua unum est; quod docuit Agid., 4 Metaph., quæst. 8, et favet D. Thom., in 1, d. 24, quæst. 1, art. 3, dicens, divisionem, secundum quam aliquid ab aliquo distinguitur, esse in affirmatione et negatione, et ideo multitudinem in ratione sua includere negationem, secundum quod multa sunt, quorum unum non est alterum. *Et hujusmodi* (inquit) *divisione hoc modo accepta in ratione multitudinis negatio importatur in ratione unius.* Et in solut. ad 4, ait: *Unum non est privatio illius multitudinis, quam constituit, sed multitudinis, quæ negatur esse in ipso, quod dicitur unum.* Et licet D. Thom. ibi loquatur de multitudine, quoad negationem in ea inclusam, ut dictum est, tamen melius forte dicitur, unum negare multitudinem, ut in ea sunt plura positive. Cui etiam favet quod idem D.